

DIRIGE CHRISTE CONATUS!  
DISSERTATIO POLITICA.

14

De  
**LEGISLATIONE**

Quam,

Divinâ favente Gratiâ

*Ad tenorem constitutionum Academicarum, adprobatio-  
nemq; Amplissimæ Facult. Philosophicæ in Inclytâ Re-  
giâ Academiâ Aboënsi,*

SUB PRÆSIDIO

Excellentissimi & Clarissimi VIRI,

**DN. M. AXELII Kempes** / Philosoph. Pra-  
cticæ & Histor. Professoris publ. Dexterrimi,  
Præceptoris ac Promotoris sui omni ob-  
servantia ætatem colendi,

*Pro laurea Magisterij Ejusq; Privilegijs, ad Publicum recte  
judicantium examen modestè defert*

**MATTHIAS C. Wichmann**

O-Gothus

*In Auditorio super. & Max: ad diem 8. Majj Anni MDCLXVIII.*

---

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

*Reverendissimo, Nobilissimo, ac Amplissimo*  
DOMINO,

DN. SAMUELI ENANDRO Gyllen-  
adler / Inclytæ Diœceseos Lincopensis Episcopo  
longè dignissimo, Consistorij ibidem Præsidi gra-  
vissimo, in Christo Patri, & Mecænati meo quo-  
vis observantiæ cultu devotè suspiciendo!

*Nobilissimo item ac Spectatissimo* DOMINO,

DN. ERICO Rosenholm / Regij Collegij Com-  
merciorum Adseffori consultissimo, Patrono  
meo propensissimo, omni honore prosequendo!

U T E T

*Pl. Reverendis atq; Praclarissimis* VIRIS,

DN. M. SAMUELI BRASCK Pastori Hol-  
mensi ad S.<sup>a</sup> Claræ meritissimo, Promotori meo  
sincero cordis affectu honorando!

DN. M. GUSTAVO JANSONIO, in Regio  
Gymnasio Lincop-S. S. Theol. Lectori, & Pa-  
stori in Glor. vigilantissimo, Fautori omni re-  
verentiæ cultu venerando!

*Dissertationem hanc Gradualement in debi-  
ta observantiâ, & officiosa mentis reuigila-  
tione, cum omni prosperitatis voto Consecro  
Dicoq;*

A U T H O R.

PROOEMIUM.



Uo genera hominum sese offerunt, qui-  
bus civilem societatem constare potissimum  
cernimus: quorum unum ἀρχοντες, alterum  
ἀρχόμενοι; ad quos omnis reipubl. constitutio  
erit referenda. Cumq; non sufficiat, in repub.  
ordines hos esse distinctos, nisi etiam intelligant, quid fa-  
cere debeant, quid cavere; necessaria proinde lex fuerit. I-  
taq; legislator, formato imperij statu, cogitabit de admini-  
strationis modo, qui ex legibus dependet: his enim remp.  
optimè solidissimèq; constituerit, si effecerit, ut leges opti-  
mæ ferantur, & latæ vigeant, ut quarum vigore magnum  
gubernatur hoc corpus. *Nam non tantum vivendi causa, sed  
benè vivendi reipub. constituta sunt; benè a. in civitate non  
vivitur, nisi eius partes certis colligentur & circumscriban-  
tur legibus, sine quibus omnia incerta sunt. Quippe judi-  
cium humanum, non solum vagum atq; difforme, sed &  
affectibus non raro obæcatum esse solet. Et ominosa est  
ratio gubernandi, ubi suo ex sensu imperantes sua per rescripta &  
decreta cuncta disponere volunt; quemadmodum olim tentavit Ca-  
ligula, nè quis respondere posset propter eum; Sueton. in vit. Ca-  
ligul. cap. 34. Rectius a. Macrinus inducere voluit, ut jure, non  
rescriptis ageretur: Capitol. in Macrin. Tutius enim ex legibus,  
quam arbitrio judicatur, quòd turbidi motus arbitrium corrumpant,  
qui nulli sunt in lege, Arist. 3. Pol. cap. 10. Interest et-  
iam universæ reipub. Magistratum sanctum & inviolabilem  
esse, ejusq; incolumitatem, regniq; securitatem, legum pu-  
blicarum præsidij contra sceleratorum vim ac injuriam mu-  
niri. undè Imperatoriam Majestatem, non solum armis, sed  
& legibus decoratam esse oportere, docet Iustinianus. Sunt  
namq; leges, muri & propugnacula otij & tranquillitatis ci-  
vilis*

villis. Hinc maximè elucescit, tum legis Necessitas: Nam ut ho-  
mines absq; societate mutuà vivere non possunt; ita neq; societas ul-  
la tuta & diuturna esse potest absq; legibus, Plat. lib. 3. d. ll. Lex est  
anima & Spiritus civitatù, & cum ipsius exordijs scribi capit, §. 11.  
inst. de rer. divis. Multitudo in unius populi corpus coalescere nullà  
re quàm legibus potest, Liv. lib. 1. Primaq; regni munia, adeoq;  
universæ reipub. partes, absq; legibus & iustitià ritè geri ne-  
queunt, non magis quàm oculi videre, manus & cætera mem-  
bra se movere sine animâ possunt. Tum ejus insignis utilitas;  
Lex enim prudenter lata, non tantùm Magistratui rationem  
administrandi, sed & subditis omnibus regulam vivendi præ-  
scribit; hæc civium controversiarum norma est, quæ judi-  
cis cohibet affectus, ut non ex arbitrio sibi æquitatem fingat,  
sed omnem controversiarum nodum hoc velut ense recidat.  
Si verò omnium norma lex esse debet, requirit itaq; ipsa le-  
gislatio summam prudentiam & experientiam; cum legis vir-  
tus à prima ipsius Sanctione, tanquam à fonte, promanet.  
De hac autem nobilissimâ juxta ac præstantissimâ materiâ, scilicet  
Legislatione, loco speciminis publici, ad mandatum Amplissimæ fa-  
cult. Philosoph. pauca impræsentiarum sub eadem disputationis  
revocare decrevi, haud interea veritus, conatui meo bonos  
omnes ac cordatos non favere; quod verò industriæ meæ  
deest, id humanitate ac candido lectoris benevoli judicio  
suppleri, officiosè rogo.

Sit itaq; bono cum Deo.

### THESIS I.

NE statim in limine impingamus, oportet usum vocis co-  
gnoscere, à quo sæpenumero in cognitionem rei perve-  
nimus, ut monet Scalig. Exercit. 1. cap. 4. Hinc operæ preti-  
um facturus videor, si pro ratione instituti, initium à no-  
minis expositione sumsero; In quâ notandum Legislationem  
hic

hic non accipi Rhetoricè, pro exercitio Progymnastico,  
quo legis promulgatio svadetur aut dissuadetur, confirmatur  
aut confutatur; Neq; juridicè, prout contradistinguitur ab-  
rogationi & interpretationi legum, notatq; solam legis præ-  
scriptionem: sed Politicè (quo de nostra instituitur disserta-  
tio) pro medio Politico, quo ordo in Rempubl. per bonas  
leges, vel introducitur, vel introductus emendatur & con-  
servatur. Hæc absolvitur, partim novarum legum præscri-  
ptione, & promulgatione, partim incompetentium Inter-  
pretatione authenticâ & antiquarum abrogatione.

II. Hisce obiter præmissis, consequens erit, ut definitio-  
nem ipsam ponamus, à quâ omnis, quæ à ratione suscipitur dispu-  
tatio, proficisci debet: Cic. lib. 1. off. quam commodè sic tradi-  
cento: *Legislatio est medium Politicum, quo summus Magistra-  
tus, ordinem, vel novarum legum sanctione in rempub. introducit,  
vel introductum, antiquarum legum abrogatione, & authenticâ in-  
terpretatione emendat & conservat, ut omnia ad salutem publicam  
dirigantur.* Christ. Prat. part. post.

III. Ut enim summæ potestatis est, imperare; ita primum  
ac præcipuum Majestatis jus Politicum est, leges universis &  
singulis in imperio dare, condere & abrogare, quibus cunctos  
ad observantiam & fidelitatem præstandam obstringat, &  
ad metam civilis societatis ducat. *Magistratus hanc esse vim  
constat, ut præse præscribatq; recta & utilia, & conjuncta cum le-  
gibus. Ut enim Magistratibus leges, ita populo præsumt Magistra-  
tus: vereq; dici potest, Magistratum legem esse loquentem, legem a-  
mutum Magistratum.* Cic. lib. 3. de LL. Sed quemadmodum  
nec unus omnia intelligit, nec cuncta providere facilè po-  
test; idcirco operæ est, ut in legibus ferendis sapientiorum  
operâ & commercio utatur; sic quippè magnum bonæ men-  
tis indicium de se ostendet, & maximum honori & venera-  
tioni suæ adjiciet superpondium; loquitur Ioh. Hier. In. Hof.

in singul. Pol. Et sicut in imperio Romano, nullæ leges imperij universales sine assensu & consilio Electorum ac Ephorum ferendæ: itaq; neq; apud nos, absq; consensu & approbatione ordinum regni introduci ac constitui possunt: cap. 4. Kong. B. L. G. art. 7. Ergo nec per vim: Nam talium legum non potest obsequium servari. Vi enim amotæ, leges quoq; amoverentur; quod exemplo Pomponij notum fecit Tacit. lib. 3. Annal. cap. 28. Particulares verò leges etiam ab inferioribus Magistratibus statui possunt, sed pro modo suæ jurisdictionis, & nè quid contra leges communes statumq; fiat; Nec de rebus alijs, quàm quarum libera administratio ipsis est concessa. Hinc patet, legum conditores, aut vi Majestatis, aut mandato alieno Majestatem habentis leges ferre; nec valere eas sine summæ potestatis confirmatione, quæ auctoritate suâ leges roborat. Sicut Decemviri apud Romanos, legum à se scriptarum confirmationem à populo petere coacti sunt, Liv. lib. 8. Majestatis enim jura haud obtinuisse, probat Jacob. Mart. Lib. 2. Pol. cap. 20. Distimars. lib. 3. Pol. Exercit. 2.

IV. In Novarum legum præscriptione, maximè respiciendum 1. Ad *Gloriam Dei*, quæ omnium nostrarum actionum finis erit, 1. Cor. 10. ad hanc veluti metam omnes leges collimare debent. 2. *justitiam*, seu ultimum finem legi præfixum; quæ omnis civilis administrationis fundamentum est, ut firmaster inter ordines reipub. concordia. 3. *Salutem populi*; juxta illud, *salus populi suprema Lex esto*. Leges enim civium incolumitatis, non cives legum causâ facti sunt, Boxborn. lib. 1. cap. 9. inst. Pol. Ad salutem civium, civitatisq; incolumitatem, vitam omnium quietam & beatam conditas esse leges oportet, Cic. lib. 2. d. ll. 4. *Æquitatem*; juri enim naturæ & gentium, ipsiusq; reipub. genio consentaneæ erunt. Neq; specie juris injuriæ viam patefaciant. Deniq;

5. Ad

5. Ad reipub. statum præsentem, & quatenus sunt reipub. utiles; leges enim non solum præesse debent, sed & bonis omnibus prodesse. Administratio Magistratui demandata dirigenda ad *gloriam Dei*, & *subditorum salutem*, publicam utilitatem: non privatam administrantis commodum; quæ communis est philosophorum sententia, Althus. cap. 21.

V. In legibus porrò constituendis, consensu Politicorum comprobatur, *legum nimiam multitudinem vitandam esse*: corruptæ reipub. indicium est, in quâ plurimæ sunt leges, Tacit. 4. Annal. Breves esse oportet; nam fieri non potest, ut omnes articuli legibus comprehendantur, utq; facilius ab imperitis teneri possint. Lex velut emissa Divinitus vox sit, jubeat non disputet, Senec. Epist. 95. Neq; tamen brevitatis ita sectanda, ut obscuritatem aliquam pariat. Eritq; *Perpicua*, quò ab omnibus intelligatur. expeditiori causarum decisioni accommodata censetur, ubi leges simpliciores & pauciores, vastis interpretum commentarijs & diversis opinionibus non onerantur: Nam aliàs vias litigandi tradunt, & contentiones inter cives excitant, quæ mala procul è reipub. sunt amovenda, Geilf, Exercit. Pol. 4. th. 6. Deniq; & *Nervosa*; non facile legi addenda ratio, Burgerfd. Ideæ Pol. cap. 6. §. 14.

VI. Cum autem negotia sint infinita, jus verò finitum esse oportet, necesse est, ut leges communes *generaliter* concipiantur, non in singulas personas. Quippe bonus legislator, quod fit ut plurimum respiciens, legem feret. Neq; propterea, quò delictum aliquod ignorat, nihil lege definit; sed, quia singularia alio atq; alio modo se habent, definiti nequeant. Proinde jus dicentium erit, particulares casus ad legem applicare, & commodâ interpretatione, quod Lex non exprimit, ex usu publico supplere. Deinde concipiendæ, prout sunt *contingentiæ*: leges enim de rebus æternis  
constat

constat non posse ferri, quia semper eodem modo se habent: de Possibilibus, non impossibilibus: De Moralibus, non naturalibus: De ijs, quæ ad repub. spectant, non verò quæ sunt extra eam: De futuris, non Præteritis: Pro Virtutibus, non vitijs.

VII. In scripturam etiam leges redigantur, nè corrumpantur, aut planè oblivioni tradantur, tum verò ut facilius in omnium eorum, quorum interest, notitiam veniant. Tamen leges non scriptæ non desinunt esse leges; quia scriptura non est de essentiâ legis, hæc tantum accidit legibus iam constitutis; satis autem ad rationem earum est, ut à summâ potestate ferantur. Huc referri potest *jus consuetudinarium*, quod usus frequens, inveteratus & æquus, tacitâ communi assensione, comprobavit: inter cujus propria requiritur, si legis vigorem habeat, (1. ut sit *rationabilis*, hoc est, bono publico non refragetur, & privatorum utilitati provideat. *Landsed nâr hon icke hafver offâl med sig/ bôr râcknas för lagh/ ther man effter dönnia nâ reg. jud. (2. Nitatur temporis vetustate, & actuum tam judicialium quàm extra judicialium frequentia. Quod si verò rectæ rationi adversetur, abusus potius & corruptela, quàm consuetudo dicenda, conf. Berneg. qq. in Tacit.*

VIII. Ut autem commodissimè secundum leges vivatur, debent præcipere 1. *justa*, quæ obligant ad parendum, nec legi naturæ & Dei adversentur, *Röng. St. 4. B. 3. Sl. God Lagh skal vara rättvis tarfligh och mögelif. 2. Equabilia*; non modo justæ sint, sed & justè imperent, non ararum telis similes, ut potentioribus faciliè cedant, tenuiores autem retineant, *Jacob. Mart. lib. 2. Pol. Eruntq; fundamentum pacis & tranquillitatis in repub. Arist. 5. Eib. cap. 10. 3. Moderata*: quâ sævities & crudelitas omnis à legibus tollenda est; vel si gravia interdum supplicia constituta sunt, mitigari

mitigari debent, ut suadet Seneca, nè tamen impunita maneant scelera. 4. *Qua rationem optimam habeant*, quæ carere non possunt; licet legis ratio nos sæpè lateat. Hinc lex semper ex ratione est æstimanda, ut ubi non ratio est, ibi nec lex sit.

IX. Cum summus Magistratus, non solum civitati, sed & Ecclesiæ imperet, proinde ratione objecti seu Materia, legislatio est duplex: alia concernens *Res Ecclesiasticas*, alia *Civiles*. Magistratus enim (uti ex ipsius juribus constat) personas & res Ecclesiasticas sub suo Imperio habet, non quatenus sunt sacra, sed quatenus in repub. existunt, & ad Politicum ordinantur finem, & quoad potestatem *πολιτικὴν*, quæ civiliter exercetur. Ideoq; potestatem habet leges utriq; præscribendi. Religio enim est fundamentum & columna totius reipub. Hæc solâ universa constat societas, quâ sublatâ vel impeditâ, tollitur in repub. legitimus ordo. Est itaq; legislatio circa *res Ecclesiasticas*, quâ summus Magistratus ordinem in Ecclesiâ constituit vel emendat, præscribendo leges de externâ religionis curâ, & divini cultus officio, *Christ. Prat. part. post. Religionis & Ecclesiæ cura interna non legibus politicis, sed verbo divinitus patefacto continetur.*

X. In legibus circa sacrorum constitutionem ferendis, præcipua cura erit, (1. *Veram puramq; religionem legitimè introducere, introductam propagare & conservare*; quod fit, præficiendo religionis Antistites, qui Dei metum, & Christi cognitionem hominum mentibus docendo & vivendo instillent, eorumq; ordines certis privilegijs & beneficijs ornare; Religiones falsas verò se veris legibus prohibere; Verum Dei cultum pijs legibus ita determinare ac circumscribere, ne falsus & fictivus aliquis irrepat. (2. *Religionis unitatem, quantum fieri potest, curare*, per quam facilius & arctiori nexu Imperantium & Parentum animi conglutinantur: Plurium religionum Exercitium publicum prohibere, si modò absq; turbatione reipub. fiat: Nec et-

iam concedat, variam & mixtam religionem commiseri.  
*Dithmars. lib. 3. Pol. Exercit. 6. (3. ἀραξίας circa sacros con-*  
*gressus tollere, & penas in delicta, verum Dei cultum ejusq; notiti-*  
*am, ac disciplinam Ecclesiasticam evertentia, constituere; ejus loco or-*  
*dinem decentem legibus surrogare, vimq; stabilita Jurisdictionis Ec-*  
*clesiastica, ejusq; auctoritatem. Sicuti laudabiliter observatum li-*  
*quet, Ex parte Tit. de Ecclesijs Rurk. B. & Priv. Cler. concessis.*

XI. Legislatio circa res civiles est, quæ summus Magistratus ordinem civitatis, vel constituit, vel emendat. Nihil enim est in repub. quod non respiciat, aut statum publicum, aut privatam civium utilitatem; quorum utrumq; salvum est, quando bonis legibus continetur. Idem evincit duplex jus, Publicum & Privatum; ad quæ quia omnis lex accommodari debet, ideo latius esse non potest, quam jus ipsum, *Geilf. Exercit. Pol. 4.*

XII. Ad statum publicum conservandum, præscribendæ sunt leges, tum fundamentales, tum administratiæ. Sunt enim leges fundamentales, quæ Imperij & imperantium Majestatem, libertatem populi, institutionem, ordinem, Vim Magistratus, & summam reipub. concernunt, *Boxhorn. Loc. alleg.* Dicuntur autem fundamentales, item jura regni: quia ijs veluti fundamentis status publicus nititur. Nulla datur respub. que his carere potest, tam respectu Imperantium; cum enim in admovendis successoribus gravissimi sæpè motus oriuntur, interfuit omnes illorum controversias legibus decidi: quàm respectu subditorum; quia debet arbitrium principum legibus restringi. Hæ autem leges condendæ sunt; vel de regno in eundo & constituendo, quoad regni commissionem, quis & qualis sit Magistratus constituendus; vel de modo & requisitis, sive successionis, sive Electionis.

XIII. In harum legum Sanctione observandum, quomodo fieri queant (i. Perpetua & ad reipub. aternitatem obtinendam comparata. Quod ut succedat, condendæ sunt a. leges que-

dam

dam earum custodes, quibus severissimæ in eos constituantur poenæ, qui de fundamentalibus mutandis aut abrogandis, vel aliquid in medium tantum sint allaturi. B. Nova subinde fundamentalibus superaddenda, quibus nec ullatenus infringantur, & quarum perpetuus semperq; in repub. usus futurus sit. (2. Quomodo diversis rerumpub. formis præscribenda & applicandæ; ut Monarchia, Aristocratie, & democratia; quæ pro varietate formarum Reipub. varias poscunt leges fundamentales. Cujus varia requisita, ad unius cujusq; formæ applicationem, possunt videri prolixè tract. à *Cyr. Lent.*

XIV. Leges administratiæ erunt norma, secundum quam respub. administratur. Nam princeps imperij administrationem eâ conditione suscipit, quod secundum leges sub juramento præstito administrare velit, *Dithmars lib. 3. Exercit. 2.* Hæ concernunt, vel sacerorum constitutionem & ordinem, vel Magistratum inferiorum creationem, vel deliberationem de rebus ad rempub. pertinentibus, sive jus belli finiendi, sive præmiorum & panarum irrogationem, ceu legum, judiciorum, & actionum executionem. De quibus omnibus leges in repub. ferendæ, ut controversiæ inde obortæ judicari possint.

XV. Differunt leges administratiæ à Fundamentalibus, contra quàm Politici vulgò sentiunt, perperam confundentes administratiæ cum fundamentalibus: Nam non omnis lex respiciens statum publicum, fundamentalis legis rationem habere potest; legum enim fundamentalium mutationem sequitur status mutatio; at sine status publici mutatione leges administratiæ mutari possunt. Deinde leges fundamentales, nec seorsim summus Magistratus, nec inferiores in manu habent, sed universa respub. De administratijs verò legibus judicare possunt, & secundum easdem decernere; quod adeò non possunt de legibus fundamentalibus. Hinc respiciunt administrato-

ministratoriæ nihil aliud, quàm jurium Majestratis exercitium, sive summum, sive vicarium.

XVI. *Legislatio privatam civium utilitatem concernens est, quæ leges de singulorum statu, conditionibus & utilitatibus sanciuntur. Hæc in duplici differentia existit; alia enim est Forensis, quæ statum civium concernit, & privatorum inter selites ac controversias spectat; alia civilem disciplinam moresq; corrigit, & Censoria appellatur. Tantum enim interest, ut cives in officio contineantur, moribusq; bonis assuescant; quàm opus est, ut civilibus & criminalibus judicijs jus suum persequantur. Et finis legum condendarum, communis omnium utilitas & publica salus est, ad quam feliciter non possunt pervenire cives, nisi ad utrumq; videlicet civium controversias & mores, legislatio referatur. In legibus forensibus ferendis observandum, (1. debere eas respicere, partim PERSONAS, prout considerantur, vel Naturaliter juxta sexum, aut natiuitatem; vel civiliter juxta statum, conditionem, aetatem: partim ad RES, pro diversa distinctione Dominiorum, Possessionum, commerciorum, & modorum acquirendi &c. Partim ad ACTIONES in judicium devolutas, ad juris sui persequitionem. Hæc ferè sunt, quæ statum civium privatam concernunt, de quibus adeoq; leges concipiendæ & ad reipub. statum accommodandæ. (2. leges forenses à majoribus traditæ, & ingenio civium adæquatæ, non tantùm religiosè debent observari; sed & aliquando augeri, mutari, & corrigi, etiam interpretatione authenticâ illustrari. Nam crescente hominum calliditate, crescere etiam debet astituta legum, ut loquitur Boxborn. instit. Pol. lib. 1. cap. 9.*

XVII. Porro censoria est, quæ totius reipub. spectat disciplinam, & in emendatione morum consistit. Expedi nãq; in reipub. nè quis re suã malè utatur, Justinian. Cum mores & disciplinam ferè turbare solent, otium tenuioris fortunæ hominum, usura, libidines, luxus in victu & vestitu, alea lususq; similes; am-

bitus.

*bitus deniq; & munerum per aureos gradus acquisitio: Ista sunt rerum pub. pestis, perniciës & interitus, quæ legibus propterea sunt corrigenda & excludenda. De quibus notandum, debere ad usum reip. accommodari; neq; simpliciter optimæ, sed quæ accommodæ sunt illi Politicæ, quæ legislator informat, adprobari debent, Besold. Nec interimendæ propter privatorum quorundam noxam, si modò ceteræ multitudini utiles futuræ sint; nè paucorum quorundam causâ omnibus noceatur. Neq; mutandæ, quàm sublata sit earum causa, aut, manente eâ, modus melior sese offerat, ad finem legis perveniendi.*

XVIII. Præterea sunt quoq; condendæ, præter has *leges generales, quæ omnes in regno concernunt, Speciales quadam leges, quæ vim in aliquâ saltem parte reip. obtinent. Hæ, vel certæ regioni, provinciæ, aut urbi; vel certis collegijs, ut bellico, Nautico, Academ. præscribendæ. Quales sunt Articuli militares, Nautici, constitut. Academ. &c. Item singulares, quæ vocantur alio nomine Privilegia, quæ quasi privatis quibusdam dantur, ultra communes regulas juris, certas ob causas concessa, contraq; legis universalis vigorem introducta. Quæ benè meritis dari, ad bonum reipub. confort: Nam honore & premio virtus excitatur, plurimiq; ad defensionem Patriæ, & alias res laudabiles gerendas exacuuntur. Hæc spectant, vel ad certas personas, vel ad certa hominum genera; hinc distinguuntur Privilegia, in Personalia, quæ propter solam personæ conditionem concessa, & ad hæredes non transeunt, sed cum personâ, cui data sunt, expirant; ut equitum Auratorum, Doctorum, & Magistrorum Privilegia: Et Realia, quæ ad successores extenduntur; ut privilegia Nobilium, Acad. & Collegiorum. Ubi observandum, ea virtutis esse premia, non turpis & inhonesti obsequij. Turpis abusus Privilegij, est justa ejus revocandi causa.*

XIX. Legibus constitutis, sequi debet earum Promulgatio,

B 3

tanquam

*tanquam necessarium adjunctum: cum lex regula quædam sit, secundum quam vivatur, adeoq; ignota esse non debet ei, qui vitam suam ad illius præscriptum ordinare tenetur, & nè quis vim illi interre per ignorantiam aggrediatur. Et si lex esse tamen potest sine hæc, & obligare ad culpam, non tamen ad pena executionem. Itaq; si subditos stringere debet, & aliquam habebit efficaciam, promulganda erit, nè ejus ignorantiam prætere possint. Unde bene constitutarum rerumpub. instituto introductum, ut leges scriptæ, non solum promulgentur initio, dum feruntur, sed etiam certo tempore deinceps, Konung. B. St. L. cap. 23. De quâ habendum, quod promulgatio talis fieri debet, ut ab omnibus percipi possit: scribere enim legem in librum, aut pralo submittere, nec tamen subditis notificare, non est legem promulgare. Hinc apud Romanos nulla valebat lex, nisi pro rostris trinundino proclamata esset, Cic. pro P. Quint. Apud nos, leges ut omnes obligent, atq; ad cunctorum, quorum inter est, notitiam perveniant, non modò scribuntur, sed & promulgantur, id est, publico actu proponuntur. Et hoc jus nobis scriptum vocatur, Sveriges bestrefne Lagh. Nob. Gyllenst. Diss. Pol. 12. d. LL.*

XX. Alterum adjunctum legum humanarum, est earum interpretatio, non minus necessaria, quam ipsæ leges. Sunt enim legum interpretes, quasi vivæ leges & loquens iustitia. Quid namq; jura, nisi sint qui de jure respondeant? Quia non omnes articuli, non omnes circumstantiæ, propter infinitatem suam, possunt legibus comprehendi; itaq; necesse est, ut prudentium interpretatio accedat, aut, pro rei & negotij difficultate, eorum, penes quos est summa potestas. Et sicut solius Magistratus, aut ejus, qui potestatem habet, leges condere in repub: ita quoq; illius est interpretari: Cum de mente & sensu legis nemo rectius ipso conditore judicare poterit. Non tamen hic attenditur interpretatio usua-

lis,

lis, nec Doctrinalis, quæ & LL. Doctoribus conceditur; sed Authentica, cum Magistratus legis sententiam, pro diversâ ratione, locorum, temporum, Personarum, aliarumq; circumstantiarum, interpretatur & ad usum publicum accommodat. Quæ interpretatio est quasi nova quædam lex, ejusq; sententia vim legis obtinet, Scheurl. Diss. Pol. 6. Indeq; & hæc interpretationis species, lex declarativa haud incommodè appellari potest. Talis lex declarativa apud nos est, ex parte decretum Norwicense, Ordinantia Urbium, & processus judiciorum, conf. Nob. Gyllenst. diss. Pol. cit.

XXI. Deinde leges, quæ semel constitutæ sunt, haud facile mutandæ, aut veteribus novæ substituendæ: namq; ut omnis; mutatio periculosa; sic quoq; legum. Quandoquidem mutationem juris sequitur mutatio morum, comitatur novitas quædam subita. Hæc autem solet movere & conquassare Rempubl. itaq; non temerè recedendum ab eo jure, quod diu æquum visum est, nè legum antiquarum vis & robur, quod ab usu & consuetudine sumtum, facili mutatione enervetur, Arist. 2. Pol. cap. 6. Habere enim æternitatis aliquid positivæ leges videntur, tum quod non moriantur cum legislatore, tum quod posteriores etiam obligent; & hæc ratione vitetur contentus, tum ipsius legis, tum legislatoris, Schonborn lib. 3. Pol. cap. 9. Unde Arist. lib. 2. Pol. cap. 8. asserit, receptas leges non esse mutandas, etiamsi quid incommodi habeant. Quod apud Thucyd. facere videtur Alcibiades; eos hominum tutissimè agere exclamans, qui presentibus moribus legibusq; etiamsi deteriores sint, minimum variantes, repub. ad ministrant, lib. 6. cap. 2. Hæc tamen cum grano salis accipienda sunt: non omnis mutatio, non omnis novitas, quæ in repub. suscipitur, damnanda. Quia omnis lex est lata propter repub. ideo tamdiu durare debet, quamdiu repub. eam admittere videtur. Et leges accommodari debent ad Rempub: non hæc ad illas, Geilf. Exercit. 4. Itaq; si summa utilitas expresserit, aut sum-

ma

ma necessitas voluerit, & novitas magno reipub. compendio fit, mutanda vel abroganda est, nè mutetur respub. ipsa: *Quae nulla tam bene constituta reperitur, quin novi emergentes casus, temporum vicissitudines, & mores hominum subinde mutati, novas interdum requirant leges, comitialia decreta, atq; recessus.* Sicut alia atq; alia remedia diversis temporibus uni & eidem corpori utiliter adhibentur: ita temporum vicissitudines aliud reipub. utile faciunt. *Nocet enim interdum antiquus rigor & nimia severitas, cui jam non pares sumus, Tacit. lib. 1. Hist. cap. 18.* Illustre mutationis Exemplum in jure nostro habemus, Cap. 3. **Rong. B. L. L.** id tamen non minori cum applausu subditorum, quam evidenti totius patriæ commoditate, mutatum esse novimus.

XXII. In legum autem mutatione, necessariæ hæ cautiones observandæ erunt (1. *Ne fiat citò, sed leniter & lenè, Lips. 4. Pol. cap. 9.* Quàm minimo enim sonitu orbis ille in Repub. convertatur, *Cic. ad Attic. lib. 2. Epist. 9.* Cum aliàs violentiam sapiat, quam subditi sæpè ferre nequeunt (2. *Ne fiat temere, sed urgente necessitate & summâ utilitate, Lips. cit. loc.* Hanc autem evidens aliqua in repub. utilitas, ut vitiorum, quibus remedia quærere oportet, fervor, commonstrare potest. (3. *Non mutetur statim quoad omnes articulos; sed sensim & prudenter, adjiciendo & detrahendo aliquid, donec expiret. Imitandus Mos naturæ, quæ nunquam saltum de nocte ad diem, nisi præmissâ aurorâ, nec de hyemæ ad æstatem, aut ab æstate ad hyemem, sed intermedium habet ver & autumnum. Audiendus omninò Augustus, qui per gradus omnia egit, & sub initio Imperij non omnia statim, uti decretum erat, exsequutus est, veritus nè parùm succederet, si simul homines transferre & invertere vellet; sed quædam ex tempore disposuit, quædam rejecit in tempus, Dio. lib. 52.* Tantum de nobili hæc & illustra materiâ pro instituti ratione disseruisse sufficiat.

*Gloria eterno Deo, optimo & sapientissimo Rerum-  
pub. Conditori & Conservatori.*